FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

AD || ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM, || D. GVILIEL=||MVM NASSAVIVM, PRINCIPEM AV-||RANTIVM, BELGARVM VINDICEM, P. P. || Iuuentutis scholasticæ ...

Wilhelm <Nassau>

[S.l.], 1577

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148704

Visual Library

41.

AD
ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM.

D. GVILIELMVM NASSAVIVM. PRINCIPEM AVRANTIVM, BELGARVM VINDICEM, P. P.

Iuuentutis scholasticæ Gertrudobergæ
Elegia.

ANNO 1577.

vr.

f. 7.

FRANKENSCHE STIFTUNGEN

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM, D. GVILIELMVM NASSAVIVM, PRINCIPEM AVRANTIVM, BELGARVM VINDICEM, P. P.

Iuuentutis scholasticæ Gertrudobergæ:
Elegia.

Libertatis patriæ dulcissime vindex
Principibus Princeps annumerande bonis.
O Princeps trucibus semper metuende tyrannis,
Princeps pacificis semper amande viris.
Te Deus afflictis voluit succurrere rebus,
Clementem patriæ iussit & esse Patrem.
Tu virtute tuos, & tu pietate gubernas,
Te celebrat populi mirus vbiq; fauor.
Tu bene syncera de relligione mereris,
Tu retines fidei dogmata saluificæ.
Suntq; tibi mores tali te principe digni
Et regit ingenuus te probitatis amor.
Non firmum pectus grauis aduersatio fregit,
Cum premitur virtus, tunc mage perficitur.
Fluctibus vt nauis forti compage probatur,
Inq; acie virtus militis enituit:
Sic te Fortunæ vexatio nulla fatigat,
Vis duræ sortis vincere nulla potest.
Adde quod egregias comitata modestia laudes
Iniustas nimij te vetat ire vias.
O maior priscis, Princeps Heroibus, aut par,
Qui bene de patria promeruere sua.
Quod fuerat quondam claris Thrasybulus Athenis,
Quod fueras Romæ magne Camille tuæ:
Ciuibus esse tuis nos te Gulielme fatemur.
Dum sequeris patriæ Martia facta tuæ.

Carolus Martellus, Dux Brabātiæ

Quale sui Martellus erat clarissimus aui,
Tale tui, Princeps, nosceris esse decus.
Bellica testatur studijs Hollandia gratis,
Teq; Ducem patriæ comprobat esse pium.
Testantur nostræ præconia maxima Bergæ,
Quæ te, non alium, vult Gulielme Ducem.
Liuor abi, nosterq; suis virtutibus Heros
Commeruit magnos inter habere locum.
Cunctos ille Duces magnis virtutibus æquat,
Quos habet eximios Teutonis ora modo.
Maxima ab assertis Casimiri gloria Celtis,
Hanc quoq; Belgarum vindicis æquat honos.

Collatio Ducis Albani & Principis Aurantij.

Quo fuit Albani rabiosior ira tyranni,
Hoc fuit ingenij lenior aura tui.
Ille fuit Sathanæ species horrenda homicidæ,
Tu contra veri forma verenda Dei.
Tu prodesse studes, nocuit ferus omnibus ille,
Tu pater es patriæ, tristis at ille lues.

Laniena Albanica.

Hoc proscriptorum numeru: direptaq; clamant
Oppida, & innocuus fusus vbiq; cruor.
Mille virûm cædes, & funera mille peregit.
Omnibus intentans tristia fata pijs.
Ah, dedit ille truci, crudeli pectore, morti
Multos insigni nobilitate viros.

Comites Hornensis & Egmondanus in aulam allect. per Albanum, capitis supplicio adiudicati.

Et Comites Egmondanum Hornensemq; peremit,
Eheu quam regi pectora fida suo.
Consilijs belloq; boni, tum stemmate clari,
Heu, peruenit mortis conditione graui.
Heroës tristi memorandi deniq; threno,
Vos canit officio nænia nostra pio.
Eripuit patriæ malus hic vos funere acerbo,
Pro, nimis iniusti crimina iudicij.
Hei mihi cur tetricam genuisti Hispania pestem,
Quænimium nostras attenuaret opes.
Eloquar. auxilium sæuo radiantibus armis
Qui tulit, ab, patriæ proditor ille fuit.

Quis

Quiq; tuas fouit, Princeps mitissime, partes,
Defensor patriæ creditur esse suæ.
Sæuior ille fuit Busyride, lenior at tu
Illo, iactatus qui fuit orbis amor.
Illum execrantur merito omnis sexus, & ætas.
Rursus te pueri, fœmina virq; probant.
Pulchrius est Virtute, nihil qua scilicet vna
Nil est quod dici possit amabilius.
Virtutem videas, intabescasq; relicta,
Quisquis pro arbitrio, quæ libet, illa facis.
Ipsa etiam Virtus æterna in sæcula durat,
Cætera dispereunt, & labefacta cadunt.
Vnus homo nobis cunctando restituit rem,
De Fabio venit versus in ora virûm:
Vnus homo nobis satagendo restituit rem,
Hoc patriæ de te grata theatra canent.
Quippe decennali te conflixisse duello
Tartareis monstris sæcula cuncta ferent.
Victricesq; tuas Nereus testabitur ipse
Classes Hispanas non timuisse manus.
Prosequitur cantu tot fortia prælia Triton,
Teq; ait inuictum, firme Bataue, mari.
Tuq; diuturni victor certamine belli
Gloria venturæ posteritatis eris.
Germanosq; tuos pro libertate tuenda
Profudisse animas inclyta fama canet,
Henricum, clarum Lodoicum, bellicum Adolphum
Nassauios, fato qui cecidere pari.
Adde his Christophorum generoso pectore natum,
In pia qui socias addidit arma manus.
Audiet hos aliquis crudeli Marte peremptos,
Dicet & actutum Manibus ista pijs:
Magnanimi Heroës fato cecidistis honesto,
Afflictæ patriæ quando tulistis opem.
Impie, nec semper Mauors virtutibus æque,
Victima sæpe tibi corruit immerita.

Fratres Aurantij & Christophorus Palatinus in bello ceciderunt.

Ergo beatorum Manes in sede recepti
Supremum hoc vocis munus habete: Vale.

Ladron. *Hei mihi quo fato, quo consultore latrones*
Istud in Alpinos decidit imperium,
Hæc fuit audaci Martis graßata furore
Virtutum, necnon pestis acerba virûm.
Fœminei à Satyris taceo ludibria sexus,
Ah pudor, ah vetat hæc me meminiße dolor.
His se vile genus, Martem mercede secuti,
Teutonici socios applicuere Cares.

Teutonici Cares hãs Mufmaf.

Incubuit miseris opibus furialis Enyo,
Hei nimium nostris inuida diuitijs.
At procul, ô Princeps distans à moribus horum
(Duntaxat Princeps nomine, mente Pater)
Diuitias patriæ melior dependis auitas,
Hauriturq; tuæ regia gaza domus.
Testis erit quæ nunc afflicta Brabantia mœret,
Eheu quàm sine te flebilis illa fuit.
Quæ prius Attalicas potuißet vincere gazas,
Mœret opes miserè dilacerata suas.
Solis vt obtectus Lunæ ferrugine vultu
Tristi deficiens omine corda ferit:
Sic ducis Hispani ceßisti quando furori,
Turbatæ Patriæ causa pauoris eras.
At tu Sol noster patriæ iam vincere docte
Immittas radios in loca nostra tuos.
Quæ sine te multos gemuit lachrymabilis annos,
Barbarico patriam strenue solue metu.
Nam quæ diues opum, quæ te Rectore vigebat,
Perdita mox, Princeps, restituenda tibi.
Vicinæ vt possint alacres te vindice gentes
Subtrahere immiti libera colla iugo.
Teq; caput bello celebrent, & pace, fidele,
Plaudat & auspicijs libera turba tuis.
Belgica te tanto lætetur Mosa patrono,
Occiduumq; fluens Scaldis in Oceanum.

Rhenus

Rhenus & æquoreat qua leniter influit vndæ,
Te colat ex meritis insula quaq; tuis.
Te Frisij fortes, & te genus acre Batauii.
Ex merito patrem Martia turba colat.
Sed dum progredimur, dum te Gulielme moramur,
Poßemus magni criminis esse rei.
Nam neq; sufficimus pueri tibi dicere laudes,
Res est magniloquis vix peragenda viris.
Arduaq; inculto voluentem obtundere versu,
Hoc nimis audacis sit pietatis opus,
Attamen oramus pueriles respice Musas,
Dignatus studijs æquior esse nouis.
Ingenium placido patiare aßurgere nutu,
Crescere & assensu fac puerile tuo.
Sic fortis rutilas pandat Victoria pennas,
Aurea sic faueat laudibus vsq; tuis.
Sic generis priscos non cesses vincere honores,
Sisq; quod es, castris maximus, atq; foro.
Sic Deus incolumem Pylios te seruet in annos,
Detq; diu patriæ frena tenere tuæ.
Et bona fœlices viuant te sospite ciues
Tempora. sit vere vita beata tuis,
Æternoq; canant versu tua facta Camœnæ,
Et fluat in laudes Phocidos vnda tuas.

FINIS.